1


DIES
ECCLESIASTICA
PER LOCA
SACRAE SCRIPTURAE
PROGREDIENS.

Haec verba loquutus est Dominus. Deut. 5.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Psal. 84.

Et loquar ad Dominum, cum sim pulvis, et cinis. Gen. 18.

Domus S. M.a Magdalenae





Romae

ROMAE MDCCCXVII.

APUD FRANCISCUM BOURLIE'

Superiorum Permissu.

Digitized by Google

Digitized by Google

DIES

ECCLESIASTICA.

I.

In excitatione matutina.

Domine Deus meus, Creator Coeli, et Terrae, qui lucem habitas inaccessibilem; tuus est dies, et tua est nox. Tu fabricatus es Auroram, et Solem, quem oriri facis super bonos et malos. Benedico te, quia vocasti me de tenebris ad lucem. Ego dormivi, et soporatus sum: et exurrexi, quia tu, Domine, suscepisti me; factus es Protector meus, et in requie mea repletus sum bonis. Repletus etiam sum mane misericordia tua: exultavi, et delectatus sum. Repleatur igitur os meum laude, ut cantem gloriam tuam: tota die magnitudinem tuam. Luceat Domine lumen justitiae, et lumen intelligentiae oriatur in me, donec aspiret dies, et inclinentur

Digitized by Google

umbrae : ut crescam in gratia, et cognitione Domini Nostri Iesu Christi : et semita mea sit quasi lux splendens et crescens usque in perfectam diem. Expande nubem in protectionem meam, et sis mihi in velamento diei, ut in velamento alarum tuarum exultem, et adhaereat anima mea post te. Qui mandasti Angelis tuis de me ut custodiant me in omnibus viis meis, mitte Angelum Sanctum tuum, qui praecedat me, et custodiat in via, et introducat in locum, quem parasti mihi, ubi cum Unigenito Filio tuo, et Spiritu Sancto est tibi Deo nostro Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio : honor, et virtus, et fortitudo in saecula seculorum. Amen.

Alia Oratio.

O Bone Jesu, Sol Justitiae, Lux vera, quae venit in Mundum, et illuminat omnem hominem : et dilexerunt homines magis tenebras,

Digitized by Google

quam lucem, illumina eos, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent. Surgant de somno suo; nox enim praecessit, dies autem appropinquavit. Abjiciant ergo opera tenebrarum, et induantur arma lucis. Fac Domine ut sicut in die honeste ambulemus, dum lucem habemus: ut simus filii lucis, et non nos tenebrae comprehendant; antequam veniat nox, in qua nemo potest operari. Sanctifica diem istam, et omnes dies vitae meae, ut placeam coram te in lumine viventium. Amen.

Alia.

Domine Jesu, qui surrexisti diluculo, et gloriosus e sepulchro apparuisti, excita me sicut excitasti Lazarum amicum tuum dormientem de somno suo, ut tecum surgam, et illumines me, et ne dormitet amplius anima mea prae taedio. Exurge igitur gloria mea: exurge psalterium, et cithara in adjutorium

Digitized by Google

meum. Fac ut, dum lumen Coeli video, recorder tui, qui ascendisti super Coelos Coeli ad orientem; et quoniam quadrigae tuae salvatio, trahe me post te in locum, quem parasti mihi in Regno tuo. Per singulos dies benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi; à Solis enim ortu usque ad occasum est laudabile Nomen tuum, donec dies sancta elucescat, et Lucifer oriatur in cordibus nostris: donec videam diem tuum Domine, diem, in quem jam nunc gaudeo, et exulto. Mane surgam ad vineas: Vineam meam custodiam, in qua tu Domine custodem me posuisti; ne auferatur a me Regnum tuum, et detur Genti facienti fructus ejus. Quia tu Domine vocasti me de tenebris in admirabile lumen tuum, ut essem lux Mundi, da ut luceam coram hominibus, ut videant opera mea bona, et glorificent te Patrem meum, qui in Coelis es. Clarificem te hodie super terram, quemadmo-

Digitized by Google

dum clarificavit te dilectus Filius tuus, qui dixit: Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: Qui splendor est gloriae, et candor lucis aeternae, et tecum, et cum Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Ante Meditationem.

Ad te Deus meus de luce vigilo, ut adorem, et laudem te: et praevenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua; quoniam oportet praevenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare: et qui mane vigilant ad te, invenient te. De mane vigilavi ad te: et in matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus. Surrexi diluculo; quaeram quem diligit anima mea: tenebo eum, nec dimittam donec benedixerit mihi. Et quoniam omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum est, descendens a te, Pater luminum, illumina te-

Digitized by Google

nebras meas. Mitte ignem in ossibus meis, et erudias me; si enim in meditatione mea exardescet ignis, ignis in Altari tuo mox, et semper ardebit: et ita non apparebo in conspectu tuo vacuus. Ne amoveas benedictus Deus deprecationem meam, ut non amoveas misericordiam tuam a me. Oculi tui sint aperti, et aures tuae erectae ad orationem servi tui, qui in loco isto orabit. Loquere Domine, quia audit servus tuus, qui loquetur etiam ad te Dominum suum, cum sit pulvis, et cinis.

Actus Fidei Theologicae.

Benedicam te Domine in omni tempore: semper laus tua erit in ore meo; quia vocasti me de tenebris in admirabile lumen tuum ad agnitionem veritatis, ad cognoscendum te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum, in quo est vita aeterna. Non fecisti taliter omni Nationi. Signasti me Spiritu

Digitized by Google

promissionis Sancto, et dedisti mihi pignus haereditatis tuae : Spiritum adoptionis Filiorum Dei, cum natus sum denuo ex aqua, et Spiritu Sancto. Tu sapiens Domine, et verax es : ideo adhaesi testimoniis tuis, quae credibilia facta sunt nimis, et mirabilia. Revela igitur oculos meos, et da mihi Spiritum Sapientiae, et revelationis in agnitione Tui, et Jesu Christi. Confirma me Domine in verbis tuis, ut sim fortis in fide. Credo, Domine; adjuva incredulitatem meam. Da mihi illam fidem, quae per Charitatem operatur : ne fides mea sine operibus mortua sit. Amen.

Actus Spei.

Beati qui habitant in domo tua, Domine : in saecula saeculorum laudabunt te. Regnum Coelorum, Domine, domus tua est : et in hac domo Patris tui mansiones multae sunt; sed nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascen-

Digitized by Google

derunt quae praeparasti diligentibus te. Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam per Resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in haereditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarescibilem, conservatam in Coelis. Laetatus sum in his; quae dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. Ibi similes tibi erimus, Domine, quia videbimus te sicuti es. Nunc per speciem, et in aenigmate: tunc autem facie ad faciem. Satiabor itaque cum apparuerit gloria tua. Salvatorem te expecto Dominum meum Jesum Christum, qui reformabis corpus humilitatis meae configuratum corpori claritatis tuae. Hanc spem habeo in te, Domine, qui es spes mea: qui es fidelis in omnibus verbis tuis, in quibus supersperavi.

Dixisti quidem tu, Domine: Multi sunt vocati, pauci vero electi: Arcta, et angusta est via, quae du-

Digitized by Google

cit ad vitam ; sed misericordia tua Domine praeveniet me : et in te sperans non infirmabor , sed contendam intrare per angustam portam : ut sim inter paucos electos tuos . Spero enim quod eadem misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae , ut inhabitem in domo tua in longitudinem dierum . Et licet peccaverim , Advocatum habeo apud te Patrem Jesum Christum justum , qui est propitiatio pro peccatis meis , et non pro meis tantum ; sed etiam pro totius Mundi : qui dilexit me , et lavit me in sanguine suo , semper vivens ad interpellandum pro me . Inclinavi igitur cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum propter retributionem : nec aliam , nisi te Domine , qui eris merces mea magna nimis . Reposita est haec spes mea in sinu meo . Amen .

Actus Charitatis .

Diligam te Domine fortitudo mea : Dominus firmamentum meum ,

Digitized by Google

refugium meum, susceptor meus, et liberator meus. Diligam te ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex tota mente mea, ex omnibus viribus meis: quia tu solus bonus es Domine; quid enim mihi est in Coelo, et a te quid volui super Terram? Concupiscit, et deficit Anima mea: defecit caro mea, et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum. Omnia arbitror detrimentum, ut Christum lucrifaciam. Quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum, ita desiderat Anima mea ad te Deus. Et quoniam qui diligit Deum, odit iniquitatem; omnem viam iniquam odio habeo, et ab omni via mala prohibebo pedes meos: et exercebor in mandatis tuis, quae mandasti custodiri nimis. Laetantur Peccatores cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis; ego autem in Domino semper delectabor, qui benefecit mihi; in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo. Utinam universi fines terrae conver-

Digitized by Google

tantur ad Dominum, et revertantur impii a via sua mala. Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. O Domine, exardescat in me ignis tuus sanctus, quem venisti mittere in terram, ut accendatur. Effunde super me de Spiritu Sancto tuo, ut nihil possit me separare a charitate, quae est in te, Jesu Christe. Benedic Anima mea Domino, et omnia, quae intra me sunt, Nomini Sancto ejus: benedic Anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus; qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia, et miserationibus. Quomodo miseretur Pater Filiorum, misertus est Dominus timentibus se; quoniam ipse cognovit figmentum nostrum: recordatus est quoniam pulvis sumus. Diligam ergo te, Domine Jesu Christe, ut diligar a te, et Patre tuo: ut cum ipso venias ad me, et mansionem apud me facias; ut

Digitized by Google

sim unum tecum, sicut tu Unus es cum eodem Patre; et Spiritu Sancto in saecula saeculorum. Amen.

Oblatio sui.

Tu Domine Rex meus, et Deus meus. Dominus universorum tu es, et in ditione tua cuncta sunt posita. Deus meus es tu, et in manibus tuis sortes meae. Omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum est, in me descendens a te o Pater luminum. Si ergo nihil habeo, quod non acceperim a te Deus meus, quid retribuam tibi pro omnibus, quae retribuis mihi? Vota mea Domino reddam N. N. N. Tibi etiam Domine in simplicitate cordis mei laetus offero universa: animam et corpus meum, ita ut ardeam: cogitationes meas, et opera mea: et omnes dies vitae meae, quorum numerus apud te est; ut omne quodcumque faciam in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agens Deo

Digitized by Google

et Patri per ipsum : sive enim vivo, sive morior, tuus sum Domine. Custodi hanc voluntatem Deus Israel, et ad venerationem Nominis Sancti tui mens ista permaneat. Amen.

Recta Intentio.

Utinam omnes viae meae dirigantur ad custodiendas justificationes tuas : ut clarificem te super terram, non quaerens gloriam meam, sed tuam Domine, qui in Coelis es : ut possim me tibi offerre Hostiam Sanctam, et beneplacentem, et rationabile obsequium ; ut sim in laudem gloriae tuae. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam : Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei, et quae placita sunt tibi faciam semper. Pater sancte, sanctifica me in veritate, ut possim in omnibus operibus meis tibi placere, qui es Sanctus in omnibus operibus tuis, per dilectum Filium

Digitized by Google

tuum, in quo tibi tam bene complacuisti, per quem est tibi, Deus omnipotens, honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Oratio Dominica.

Pater noster, qui es in Coelis. Domine Deus noster, qui in excelsis habitas, et humilia respicis, et alta a longe cognoscis, cui est cura de omnibus, qui de Coelo prospicis super filios hominum, respice in me, et miserere mei. Pater Sancte serva me in Nomine tuo, et custodi me ut pupillam oculi.

Sanctificetur Nomen tuum. Fac ut adorem te Deum verum in Spiritu, et veritate: ut confitear Nomini tuo magno, quod Terribile et Sanctum est: ut manifestem illud hominibus: ut doceam iniquos vias tuas, et impii ad te convertantur. Propterea laudem dicam tibi, et benedicam Nomini tuo in saeculum.

Adveniat Regnum tuum, quod non est de hoc Mundo, sed est Re-

Digitized by Google

gnum omnium saeculorum. Regnum tuum sit intra nos, quod non est esca, et potus, sed justitia, pax, et gaudium in Spiritu Sancto: ut possim post mortem edere, et bibere super Mensam tuam in Regno tuo.

Fiat voluntas tua; justus enim es Domine, et rectum judicium tuum: et omnia, quae facis, in vero judicio facis. Doce me igitur facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Sicut in Coelo et in Terra. Sive quae in Terris, sive quae in Coelis sunt, tuae obediant voluntati; ut in obediendo mandatis tuis non alia sit coelestium gloria, alia autem terrestrium.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Tu Domine, qui das escam omni carni, et imples omne Animal benedictione, victui meo tribue necessaria. Ciba me quoque pane vitae et intellectus, et pota me aqua sapientiae salutaris; sunt enim dulcia faucibus meis eloquia

Digitized by Google

tua super mel ori meo. Frange insuper esurienti Animae meae panem suum: panem Angelorum: panem de Coelo verum: non sicut manducaverunt Patres nostri manna, et mortui sunt; sed carnem Filii tui, quae vere est cibus; et sanguinem ejus qui vere est potus; ut manducans hunc panem vivam in aeternum.

Et dimitte nobis debita nostra. Reminiscere miserationum tuarum Domine, et misericordiarum tuarum, quae a saeculo sunt. Qui proprio Filio tuo non pepercisti, sed pro nobis omnibus tradidisti illum, delicta juventutis meae, et ignorantias meas ne memineris; sed propter Nomen Sanctum tuum propitiare peccato meo, multum est enim.

Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Quoniam dilectus Filius tuus dixit nobis: Diligite inimicos vestros; ut sitis Filii Patris vestri: et commendans charitatem suam in nobis; ad te oravit in Cruce; Pater, dimitte illis: et pro

nobis mortuus est, cum adhuc peccatores essemus; cupio et ego anathema esse etiam pro fratribus meis, qui odio habuerunt me gratis, et odio iniquo oderunt me. Dimitto Domine, ut dimittatur mihi. Fac ut sim misericors, sicut et tu Pater noster misericors es; si enim dimiserimus hominibus peccata eorum, dimittes et nobis Pater noster coelestis delicta nostra.

Et ne nos inducas in tentationem. In Filio tuo eripiar à tentatione, qui est tentatus per omnia pro similitudine absque peccato. Sis mihi à dextris Domine, ne commovear, ut, cum probatus fuero, accipiam coronam vitae. Serva me ab hora tentationis misericors Deus: et agnosce creaturam, non à diis alienis creatam: sed à te solo Deo vivo, et vero, quia non est alius Deus praeter te, et non est secundum opera tua.

Sed libera nos à malo. Quoniam comprehenderunt me iniquitates meae, circumdederunt me mala, quorum

non est numerus : et pericula Inferni invenerunt me ; sed tu Domine, adjutor meus, et liberator meus es tu. Viam igitur iniquitatis amove à me : et amove a me plagas tuas : et libera me, quoniam speravi in te. Propterea si consistant adversum me castra, non timebit cor meum : si exurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo. Quia tu Domine fortitudo mea, refugium meum, spes mea à juventute mea ; super aspidem et basiliscum ambulabo, et conculcabo leonem et draconem : et in Domino sperans non infirmabor.

Haec omnia peto in Nomine Unigeniti Filii tui, qui dixit : Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Amen.



Digitized by Google

II.

HORAE CANONICAE

Ad Primam.

Tu Domine Deus, miserator, et misericors, possedisti me in initio viarum tuarum, antequam quidquam faceres à principio; charitate enim perpetua dilexisti me: et attraxisti me miserans in funiculis Adam, in vinculis charitatis: Vocasti me quoque in Sanctuarium tuum, ut lucerem super candelabrum omnibus, qui in domo sunt. Ecce ego Domine, quia vocasti me. Da ut sim vigilans usque ad mortem, et confirmem caeteros: nec obliviscar Testamenti tui: Da has leges in corde meo, et in mente mea eas subscribe; ut ambulem digne vocatione, qua vocatus sum à diebus antiquis: ut gratia tua in me non sit vacua; ut omnia opera mea sint plena coram te Deo meo: ut non relinquam charitatem primam, ne inci-

Digitized by Google

pias me evomere ex ore tuo. Teneam Domine, quod habeo, ne alter accipiat coronam meam.

Hora Tertia.

Domine Deus meus, qui hora diei tertia super discipulos tuos, perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre tua, et fratribus tuis, expectantes promissionem Patris, quam audierant per os tuum, misisti Spiritum Sanctum tuum, ut essent tibi testes in Jerusalem, et in omni Judaea, et Samarîa, et usque ad ultimum Terrae; effunde super me, et super omnem carnem de Spiritu Sancto tuo. Repleat Domine cor meum, et mentem meam, sicuti replevit totam domum, ubi erant sedentes Discipuli tui. Veniat è Coelo ignis tuus sanctus, quem venisti mittere in terram, ut accendatur; ut accipiens virtutem supervenientis Spiritus Sancti in me, possim loqui magnalia tua: sicuti apparuerunt illis disper-

Digitized by Google

titae linquae , tanquam ignis , seditque supra singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et coeperunt loqui, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur: et renovabis faciem terrae. Induar Domine virtute ex alto, ut possim loqui cum fiducia verbum tuum. Veniat Spiritus veritatis, qui doceat me omnem veritatem, et quae ventura sunt annuntiet mihi: qui suggerat mihi quodcumque dixisti: qui clarificet te, et testimonium perhibeat de te, ut testimonium ego perhibeam, quia tecum sum. Mitte Spiritum tuum in corda filiorum tuorum clamantem, Abba Pater, Spiritum adoptionis, ut natus ex Spiritu, Spiritus sim, et non caro. Fiat cor meum Templum Dei vivi, et Spiritus Sanctus habitet in me, et operetur in me, qui operatur omnia in omnibus dividens singulis prout vult; ipse deducat me in viam rectam, qui enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei. Fac ut au-

Digitized by Google

diam vocem Spiritus, qui ubi vult spirat, ut adhaerens tibi unus Spiritus tecum sim. qui unum es cum Patre tuo, et eodem Spiritu Sancto in saecula etc. *Veni Sancte Spiritus etc. cum Sequentia.*

Hora Sexta.

Dominator vitae meae Deus meus, ordinatione tua perseverat dies, quia omnia serviunt tibi. Oritur Sol, et occidit, et ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem, lustrans universa. Vespere igitur, mane, et meridie narrabo, et annuntiabo, et exaudies vocem meam. Oculi tui Domine super timentes te, protector potentiae; firmamentum virtutis, tegimen ardoris, et umbraculum meridiani. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. Donec aspiret dies, et inclinentur umbrae, vadam ad montem mirrhae, et ad collem thu-

Digitized by Google

ris . Consurgam , et ascendam in meridie in palmam, et apprehendam fructus ejus : contemplabor eum, qui hora sexta crucifixus, et cum sceleratis reputatus est . Aspiciam Dilectum , qui pendens in ligno non habet ubi reclinet caput suum. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedebo, et fructus illius dulcis gutturi meo . Stabo juxta Crucem , et hauriam aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et miserationum Domini recordabor . O Sol justitiae, qui occidisti in meridie, et tenebrescere fecisti terram in die luminis , ne occidas ultra super me, sed sis mihi in lucem sempiternam , et Deus meus in gloriam meam. Amen.

Hora Nona.

Domine Deus meus formans lucem, et creans tenebras, considera quod dies declinior sit ad occasum, et propinquet ad vesperam , mane apud me etiam hodie, ut ducam laetam diem . Da ut reliquum hujus

Digitized by Google

diei, et vitae meae cum gaudio sit, et cum bono profectu timoris tui, ut testimonium praebeam in conspectu tuo, et Jesu Christi Filii tui, ut ornem tempora usque ad consummationem vitae, et laudem Nomen Sanctum tuum, et amplificem tuam sanctitatem, donec videam te Deus meus, cui gloria nunc, et in diem aeternitatis.

Et nunc Domine ascendo ad horam orationis nonam, memor Sanctissimae Mortis tuae, quando hora nona exclamasti: Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me? et cum accepisses acetum dixisti: Consummatum est; et commendans Patri Spiritum tuum, iterum clamans voce magna expirasti. Ne derelinquas me Domine, et respice me in hora tribulationis, et transitus mei. Ad te clamabo, ut salvus sim: in te sperabo, ut non sim confusus. In manus tuas, o bone Jesu, commendo Spiritum meum, a quo emptus sum pretio tam magno. Memento mei, dum veneris in Regnum tuum; fac

Digitized by Google

ut audiam ex ore tuo quod conversus ad Latronem in Cruce pendentem dixisti: Hodie mecum eris in Paradiso; ut intrans in gloriam tuam glorificem te cum Patre tuo, et Spiritu Sancto in saecula saeculorum. Amen.

Recitetur Psal. 21. in memoriam Passionis Dominicae.

III.

ANTE SACRUM.

Domine Deus, omnium Creator, Terribilis, et Fortis, Justus, et Misericors, qui sedes super excelsum Thronum, et glorificas Majestate Domum Sanctam tuam, suscipe de manibus meis in oblationem suavissimi odoris Corpus, et Sanguinem pretiosi Agni, et immaculati Unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quem hodie offero tibi Omnipotenti Deo excelso in loco isto, quem elegisti in Domum Sacrificii; Deduc me in montem sanctum tuum, et lae-

Digitized by Google

tifica me in domo orationis meae, et placeat tibi hoc Sacrificium dilecti Filii tui, per quem est tibi gloria in Ecclesia in omnes generationes. Qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo: et humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem Crucis. Haec est illa oblatio munda, quae offertur Nomini Sancto tuo, quod est gloriosum, et terribile. Adorent te, Deus Pater omnipotens, et laudent Angeli tui, qui sunt in circuitu Throni ante sublime Altare tuum, et coram Agno, qui occisus est, et redemit nos in Sanguine suo. qui dignus est accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. Veniant itaque omnes gentes, et adorent coram te Domine, quia tu es Deus solus in universa terra. Offerat universa multitudo hoc holocaustum, et Sacrificium laudis tuae mente devota, que-

Digitized by Google

madmodum ipse Unigenitus Filius tuus obtulit seipsum immaculatum tibi Patri suo, Deo viventi, et quotidie se offert super placabile Altare tuum in holocaustum sempiternum.

Per ipsum offerimus etiam Domine Pater Sancte nos ipsos spirituales hostias, qui mortuus est, ut nos offerret tibi Deo vero, ut essemus in laudem, et gloriam tuam. Utinam exhibeamus nosmetipsos Sanctos, et immaculatos, et irreprehensibiles coram te Hostiam viventem, sanctam, beneplacentem, rationabile obsequium nostrum, ut oblatio nostra sit odor suavissimus in conspectu tuo. Tu ergo Domine Deus omnipotens, cui est acceptum sacrificium Justorum, accipe me quasi in Hostiam Holocausti: ut vivam jam non ego, vivat vero in me Christus, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me: ut vita mea sit abscondita cum Christo in te Deo Patre, qui cum eodem Filio tuo, et Spiritu Sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

Memores etiam Domine miseratio-
num tuarum, et multitudinis bono-
rum, quae largitus es nobis secun-
dum indulgentiam tuam, et secun-
dum multitudinem miserationum tua-
rum; gratias agimus tibi sine inter-
missione, et colimus te, Omnipo-
tens aeterne Deus, in hostiis, et mu-
neribus. Tu dedisti nobis Unigeni-
tum Filium tuum, qui dilexit, et
lavit nos in sanguine suo: factus no-
bis Justitia, Sanctificatio, et Re-
demptio. Mediator novi Testamenti,
Pontifex futurorum bonorum, Sancto-
rum Minister, et Tabernaculi veri;
qui, cum sit Sacerdos in aeternum
secundum ordinem Melchisedech, in
qua nocte tradebatur, accepit pa-
nem, et gratias agens fregit, ac di-
xit: Accipite, et manducate: hoc est
Corpus, quod pro vobis tradetur;
hoc facite in meam commemoratio-
nem. Similiter accepto Calice post-
quam coenavit dicens: Hic Calix No-
vum Testamentum est in meo San-
guine; hoc facite quotiescumque bi-
betis in meam commemorationem.

Digitized by Google

Tu antem Domine, qui proprio Filio non pepercisti, sed pro nobis omnibus tradidisti illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donasti? Et nos quidem de plenitudine ejus accepimus, repleti fructu Iustitiae per eum, in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Gratias igitur agentes super hoc inenarrabili dono tuo, et caeteris donis tuis offerimus tibi hoc Sacrificium Recordationis: eumdem scilicet Unigenitum Filium tuum Dominum Nostrum Jesum Christum, ut sit memoriale in aeternum super Altare tuum in odorem suavissimum in conspectu Divinae Majestatis tuae.

Accedo etiam Domine ego humilis servus tuus, quem costituisti Sacerdotem, ad offerendum munera, et hostias pro peccatis meis, et pro delictis Populi, ad Altare tuum cum vero corde, et plenitudine fidei, ut offeram Divinae Majestati tuae placabilem Hostiam in hac domo Propitiationis, eumdem Filium tuum Unigenitum Dominum Nostrum Jesum Chri-

Digitized by Google

stum, qui est Propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius Mundi. Qui cum maneat in aeternum, sempiternum habet Sacerdotium; unde et salvare in perpetuum post accedentes per semetipsum ad te Deum vivum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, et excelsior coelis factus; Qui non per Sanguinem hircorum, et vitulorum, sed per proprium Sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna Redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificabat ad emundationem carnis; quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? Hic est Sanguis Testamenti, in quo sanctificati sumus, quem voluit offerri usque ad consummationem sae-

Digitized by Google

culi ad placandum te Deum Patrem suum pro peccatis , et delictis Populi sui . Accedamus igitur ad Testamenti novi Mediatorem Jesum Christum , et Sanguinis aspersionem melius loquentem , quam Abel .

Protector noster aspice Deus , et respice in faciem Christi tui , qui peccata nostra pertulit in Corpore suo super lignum : ut peccatis mortui justitiae vivamus , cujus livore sanati sumus , per quem placuit tibi reconciliari , omnia in ipsum pacificans per Sanguinem Crucis ejus , sive quae in Terris , sive quae in Coelis sunt . Propitiare ergo Domine Populo tuo , qui peccavit tibi , omnibus iniquitatibus eorum , qui praevaricati sunt in terra , et da misericordiam coram eis ; non enim corruptibilibus auro , vel argento redempti sumus , sed pretioso Sanguine , quasi Agni immaculati Christi , et incontaminati , quem humiliter offero super Altare tuum , in quo habemus Redemptionem , et remissionem peccatorum secundum divitias

gratiae ejus. Pone etiam misericors Deus lacrymas nostras in conspectu tuo: et sit tibi acceptabile Sacrificium cordis nostri; quod tibi offerimus contritum, et humiliatum per eundem Christum, Unigenitum Filium tuum. Amen.

Respice Domine Deus Omnipotens de Sanctuario tuo, et de excelso Coelorum habitaculo, respice ad orationem servi tui, et ad preces ejus. Audi orationem, quam servus tuus orat coram te, et suscipe hoc Sacrificium de manibus meis pro universo Populo tuo in Ecclesia, quam acquisisti Sanguine Filii tui; ut omnes hauriamus aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Per ipsum ad te accedo; qui in diebus carnis suae preces, supplicationesque offerens cum clamore valido, et lacrymis, exauditus est pro sua reverentia; Qui dedit nobis Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus, Abba Pater; Qui cum sit ad dexteram tuam, etiam nunc interpellat pro nobis. Rogat te Populus tuus Dominum ex-

Digitized by Google

celsum in prece, usquedum perfectus sit honor tuus, et munus in consummatione sanctae oblationis, quae est in manibus meis.

Domine Deus omnium, qui magna fecisti in omni terra, qui auxisti dies nostros a ventre matris nostrae, et fecisti nobis secundum misericordiam tuam; memor sis Sacrificii nostri: et fac in nobis secundum omnem bonitatem, et secundum omnem miserationem tuam. Da nobis jucunditatem cordis, et fac pacem in diebus nostris per dies sempiternos.

Angelus etiam Sanctus tuus, qui stat ante Altare tuum, offerat preces nostras super hoc Altare: et ascendat fumus incensorum de orationibus nostris coram te.

Propter Christum, qui dilexit Ecclesiam, Sponsam suam, et seipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret: mundans eam lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse tibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi, sed ut sit Sancta, et imma-

Digitized by Google

culata ; protege Deus meus universam Ecclesiam tuam, in qua habitat Genus electum, regale Sacerdotium, Gens Sancta, Populus acquisitionis, fundatam super firmam petram, qui est Christus, Caput et Salvator Corporis ejus; ut omnes Unum simus in ipso, qui de uno Pane, et Calice participamus.

Aliae sunt oves, Domine, quae non sunt ex hoc Ovili: et illas etiam oportet adducere. Convertantur Domine ad Patrem Magnum Ovium Episcopum animarum nostrarum: et fiat unum Ovile, et unus Pastor.

Protege eos Domine, quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam tuam: Et quem praecipue constituisti Summum Sacerdotem Gentis tuae, ut seipsos praebeant in omnibus exemplum bonorum operum in Doctrina, et Integritate, et Gravitate.

Oramus etiam te Domine pro Regibus, et omnibus, qui in sublimitate stant, et gladium portant; sunt enim Ministri tui.

Digitized by Google

Aperti sint oculi tui super hanc Civitatem, et muro tuo inexpugnabili illam circumcinge, et da pacem in diebus nostris, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. Propitiare Domine Terrae nostrae: et cohibe omnes plagas a gente nostra. Si irruerint super nos mala, gladius judicii, pestilentia, et fames, stabimus coram Domo hac in conspectu tuo, in qua invocatum est Nomen tuum, et clamabimus ad te in tribulationibus nostris, et exaudies, salvosque facies.

Respice etiam servos tuos, quos vocasti fidelis Deus in Societatem Filii tui, ut simus Sancti, et immaculati in conspectu tuo: radicati, et fundati in charitate, ut eamus, et fructum afferamus, et fructus noster maneat. Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum; ut is qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.

Respice super hanc Domum tuam, in qua invocatur Nomen tuum: et

Digitized by Google

ne cogites super illam malum. Universae facultates nostrae, et familiae in conspectu tuo sunt. Sint omnia nostra sub lege tua: Nos et filii nostri servi tui sumus. Errantes oves ex nobis reduc in viam salutis, propter quas bonus Pastor animam suam posuit.

Rogamus te Domine pro iis, qui nobis beneficiunt: qui tribulato sunt corde: qui odio iniquo oderunt nos: qui in agone contendunt: denique pro iis, qui cum pietate dormitionem acceperunt, pro quibus offero hoc Sacrificium Redemptionis, et victimam salutis, ut ingrediantur Civitatem illam, Jerusalem novam Ecclesiam Primitivorum, in quam non intrat aliquid coinquinatum, nisi qui scripti sunt in libro vitae Agni.

Appropinquo igitur Domine ad Altare tuum, ut ministrem in Sanctuario tuo: fac me Sacerdotem sine macula, habentem voluntatem in lege tua. Indue me veste sancta in gloriam, et decorem vestimentis salutis, et indumento justitiae circumda

Digitized by Google

me. Sanctifica offerentis manus, quas consecrasti in die unctionis suae, ne polluam Sanctuarium tuum; sed levem eas pure in ascensu Altaris sancti cum oblatione Excelsi Regis. Sanctifica cor meum, in quo posuisti tabernaculum tuum, ut sit Templum Dei vivi: et reple me coelesti benedictione, et gratia in Filio tuo Jesu Christo, ut sim sanctus corpore, et spiritu per oblationem Corporis sui.

Aperiantur Coeli, et Angeli tuï Deus ascendant in hac hora super Filium hominis. Veniat ignis tuus de Coelo, qui est Spiritus Sanctus, et descendat super hoc Altare tuum; quemadmodum aperti sunt Coeli, et descendit super Filium tuum sicut Columba, et mansit super eum, et vox tua intonuit: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ut ipse quoque repletus Spiritu Sancto unum sim tecum, qui unus es Deus cum Filio tuo, et cum eodem Spiritu Sancto per saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

Adsit gratia plena Virgo, et Mater Unigeniti Filii tui Maria, et offerat tibi Deus omnipotens in hac hora Jesum, benedictum fructum ventris sui, quem tulit olim in Jerusalem, ut sisteret eum coram te Domine; et, dum emitteret spiritum, stabat juxta Crucem, et nunc assistit Regina à dextris ejus. Inveniat igitur gratiam in conspectu tuo servus tuus per eam, quae invenit gratiam coram te. Amen.

Ante Communionem Sacramentalem.

Tempus tuum Domine prope est, ut facias pascha cum Servo tuo. Angelorum esca nutris populum tuum, et paratum Panem de Coelo praestas, ac sine labore omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Ecce in Altari tuo Convivium pinguium, Convivium vindemiae, Manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit non indigne: Mel bonum, et favum dulcis-

Digitized by Google

simum gutturi meo. Vere, o bone Jesu, cum dilexisses tuos, qui erant in Mundo, in finem dilexisti eos. Tu es Panis vitae. Patres nostri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Tu es Panis vivus, qui de Coelo descendisti; Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum: et Panis, quem tu dabis, Caro tua est pro Mundi vita. Caro tua vere est cibus, et Sanguis tuus vere est potus: qui manducat tuam Carnem, et bibit tuum Sanguinem, in te manet, et tu in illo. Sicut misit te vivens Pater, et tu vivis propter Patrem: ita et qui manducat te vivet propter te.

Sed quis ego sum Domine, ut intrem in Convivium tuum? Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Ego pulvis, et cinis: putredo, et vermis. Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur Anima mea. Sed licet tam miser sim, et contemptibilis valde, tu clamare non

Digitized by Google

desinis, et invitare ad Coenam magnam pauperes; debiles, et claudos. O benignitas, et humanitas Salvatoris nostri Dei! Sitivit igitur Anima mea quam multipliciter tibi caro mea. Quemadmodum Cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum; quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? Quis mihi det, ut inveniam te foris, et deosculer te? Rorate Coeli desuper et nubes pluant Justum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem. Inclina Domine Coelos tuos, et defende: excita potentiam tuam, et veni, ut salvum me facias. Veni Domine, veni, et noli tardare. Ecce Sponsus venit, exite obviam ei, gustate, et videte quoniam suavis est Dominus. Aperti sint oculi mei, et cognoscam te Jesu Praeceptor in fractione Panis. Ego dilecto meo, et dilectus meus in sinu meo. Fiat igitur salus, et pax huic domui, quam visitat Dominus.

Digitized by Google

„ Contritio de peccatis, et negligentiis, et Confessio praemittenda.
Intentio rectificanda.
Christi Passio memoranda.
Amor excitandus.
Humilitas procuranda.
Suffragia Sanctorum requirenda. „

GRATIARUM ACTIO.

Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? De ore tuo lampades procedunt, o bone Jesu, sicut taedae ignis accensae. Halitus tuus prunas ardere facit, et flamma de ore tuo egreditur; non est qui se abscondat à calore tuo.

Recede à me Domine, quia homo peccator sum; et unde hoc mihi, ut veniat Dominus meus ad me? Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Domine Dominus noster, quam admirabile est Nomen tuum in universa terra! Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus meus,

Digitized by Google

et Deus meus. Ecce Deus, Salvator meus: fiducialiter agam; et non timebo. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, Benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna Filio David. Tu es Christus, Filius Dei vivi. O Rex Israel Salvator.

Benedic Anima mea Domino: et omnia, quae intra me sunt, Nomini Sancto ejus. Benedictus Dominus Deus Israel. Magnificat anima mea Dominum, etc. Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis: excelsus, et immensus. Exultavit cor meum in Domino: et exultavit anima mea in Deo meo.

Inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam. Non dimittam te Domine, donec benedixeris mihi. O bone Jesu, dives in omnes, qui invocant te: qui venisti non vocare justos, sed peccatores: qui pertransibas benefaciendo, et sanando omnes. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, non ne tu, qui solus es?

Digitized by Google

Domine, si vis potes me mundare. Amplius lava me ab iniquitate mea; et a peccato meo munda me. Cor mundum crea in me Deus.

Ecce quem amas infirmatur; Miserere mei, quoniam infirmus sum. Tu venisti in me, ut curares me: Sit igitur dimissus ab infirmitate sua servus tuus, qui tenetur magnis febribus. Jesu, fili David, miserere mei. Dic animae meae: Quid tibi vis faciam? Domine ut videam: ut agnoscam te Deum meum, qui es intra me, speciosus forma prae filiis hominum.

Stabo hic secus pedes tuos Domine, audiens verbum tuum, et illud conferens in corde meo. Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes. Sermo tuus veritas est. Domine, quid me vis facere? Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: Sonet igitur vox tua in auribus meis. Vocabis me, et ego respondendo tibi.

Trahe me post te in odorem unguentorum tuorum. Oleum effusum Nomen

tuum : Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis ; Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris, et sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. O quam suavis es Domine manducantibus te. Pinguis est Panis tuus, et praebebit delicias Regibus. Manducavi Panem meum cum melle meo ; et bibi Vinum cum lacte meo ; Vinum, Domine Jesu, Sanguinem tuum, quem das iis, qui amaro sunt corde, ut bibant, et obliviscantur egestatis suae : et doloris sui non recordentur.

Si tetigero tantum fimbriam vestimenti ejus, salvus ero. Stabo ad pedes Domini, et osculabor pedes ejus. Dic animae meae ; Infer digitum tuum hic, et vide : Mitte manum tuam in latus meum : et noli esse incredulus, sed fidelis.

Mane in me, Domine Jesu, et ego in te, ut feram fructum multum, fructus nempe spiritus : Charitatem, ut diligam te, qui prior dilexisti me : diffusam in corde meo etiam propter eos, qui haereditatem ca-

Digitized by Google

piunt salutis; ut defectio teneat me pro peccatoribus, derelinquentibus legem tuam. Gaudium, ut exultem in te Deo meo, vivo, et vero. Pacem, quam das in medio cordis mei, quo modo stetisti in medio Discipulorum, dicens: Pax vobis: Ego sum: nolite timere. Patientiam in adversis: Expectans te, et viriliter agens; ut confortetur cor meum, sustinens te Dominum. Benignitatem, induens viscera misericordiae erga fratres meos. Bonitatem, sicuti bonus es tu, qui solem tuum oriri facis super bonos, et malos; et pluis super justos, et injustos. Longanimitatem, de mane usque ad vesperam diligens te, omnibus diebus vitae meae in longitudinem dierum; etiam mortificatus propter te tota die, et factus sicut ovis occisionis. Mansuetudinem, discens a te, qui mitis es, et humilis corde. Fidem, quae per dilectionem operetur. Modestiam, quae nota sit omnibus hominibus; tu enim Domine, non tantum prope, sed intra me es. Continentiam, qua cru-

cifigam carnem meam cum concupiscientiis suis . Castitatem , ut exhibeam tibi cor mundum , qui pasceris inter lilia ; et lilia colligis ; et sic inhabites in me , ut vivam ego jam non ego , vivas tu vero in me Domine Jesu , qui cum Patre , et Spiritu Sancto vivis , et regnas Deus per saecula saeculorum . Amen .

„ Christus hospes humiliter amplexandus .

Beneficium visitationis ipsius attente considerandum .

Infinita erga se ejusdem bonitas admiranda .

Imparitas sua ad gratiarum actiones digne reddendas agnoscenda .

Deo Patri ejus Filius dilectus offerendus .

Totum , quod in se est , Sanctissimae Trinitati , et Beatae Virgini Mariae consecrandum .

Necessitates propriae , et Proximi Christo Domino reverenter aperiendae .

Gratia Dei suppliciter petenda .

Digitized by Google

Vota ex intimo Cordis renovanda. Proponendum.„

Precatiuncula Sacerdotibus quotidie legenda, ut in dies Deo ferventius deserviant. Ex Thoma a Kempis, de imitatione Christi.

Adjuva nos gratia tua, omnipotens Deus, ut qui officium Sacerdotale suscepimus, digne, ac devote tibi omni puritate, et in conscientia bona famulari valeamus.

Et si non possumus in tanta innocentia vitae conservari, ut debemus; concede nobis tamen, digne flere mala, quae gessimus, ut in spiritu humilitatis, ut bonae, voluntatis proposito tibi ferventibus deservire valeamus. Amen.

Digitized by Google

IV.

IN ADORATIONE

SANCTISSIMAE EUCHARISTIAE

ET VISITATIONE BEATAE MARIAE VIRGINIS.

Quis poterit stare in conspectu vultus tui omnipotens Deus Altissime, et in conspectu ardoris tui. Quis poterit subsistere? Ergo ne credibile est ut habitet Deus cum hominibus super terram? Si Coelum, et Coeli Coelorum non te capiunt, quanto magis domus ista? Tu Domine Deus universorum, qui nullius indiges, voluisti Templum habitationis tuae fieri in nobis. Posuisti Tabernaculum tuum in medio nostri, et habitas nobiscum: nos populus tuus, et tu Deus noster. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel, Salvator, Gloria Templi, et Altaris tui: Qui habes in Coelis habitationem, elegi-

sti Sanctuarium in loco isto, ut sis ibi nobiscum in perpetuum. Prope est Dominus invocantibus eum; invocantibus eum in veritate; nec est alia Natio tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster.

Beati Viri tui, et beati Servi tui, qui assistunt coram te omni tempore, et circumdant Altare tuum, Dominator omnis terrae: et conversantur tecum, qui in terris visus es, et cum hominibus conversatus es: non enim habet amaritudinem conversatio tua, nec taedium convictus tuus; sed laetitiam, et gaudium.

Exinanisti Domine temetipsum, et deliciae tuae esse cum filiis hominum utinam deliciae meae esse cum filio Dei! Quam pulchra tabernacula tua Jacob, et tentoria tua Israel! ut valles nemorosae, et horti juxta fluvios irrigui; ut tabernacula, quae fixit Dominus, quasi Cedri prope aquas.

O Israel, quam magna est Domus

Dei , et ingens locus possessionis ejus ! Magnus est, et non habet finem : excelsus , et immensus.

Quam dilecta Tabernacula tua Domine virtutum! Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini . Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Exulta, et lauda habitatio Sion , quia magnus in medio tui Sanctus Israel. Confortare omnis populus terrae ; quoniam Deus noster nobiscum est in Templo Sancto suo: et repletur domus haec sancta gloria Majestatis ejus. Hic est Deus noster : et non aestimabitur alius adversus eum. Domine dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae. Gaudens gaudebo, et exultabit anima mea in Deo meo.

Quis non timebit te Domine , et magnificabit Nomen tuum? Ecce omnes Angeli, qui serviunt tibi die ac nocte in Templo tuo, stant in circuitu Throni, et cadunt in conspectu Throni in facies suas, et adorant te Deum viventem in saecula saeculorum. In

conspectu igitur Angelorum psallam tibi, Deus meus, adorabo ad Templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. Dignus enim es Domine Deus noster accipere gloriam, et honorem, et virtutem, et benedictionem, quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt. Tu es Agnus, qui occisus es, et redemisti nos in Sanguine tuo, et fecisti nos Deo nostro Regnum, et Sacerdotes. Tu es Deus solus Regum omnium terrae, Rex Regum, et Dominus Dominantium. Benedictus igitur in Templo Sancto gloriae tuae: et laudabilis, et gloriosus in saecula. Gaudium et laetitia coram Altari tuo: gratiarum actio, et vox laudis. Intrent in conspectu tuo omnes gentes in exultatione, et psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes, et psallentes in cordibus suis in hoc atrio sancto tuo: ubi est etiam multitudo Militiae coelestis, laudantium te, et dicentium: Gloria in altissimis Deo: et in terra pax hominibus bonae vo-

Digitized by Google

luntatis. Haec sit vox exultationis, et salutis in tabernaculis Justorum. Glorificent te Domine quantumcumque potuerint, supervalebis enim adhuc: et admirabilis magnificentia tua. Benedicant te Domine quantum possunt: major enim es omni laude. Laudationem Domini loquetur os meum: et benedicat omnis caro Nomini Sancto ejus in saeculum, et in saeculum saeculi. Venite adoremus, et procidamus etc.

Domine Jesu, qui posuisti velamen super faciem tuam, et ponis nubem vestimentum tuum, ex quo abscondisti speciem decoris tui: Quis est, qui contempletur te? Sed etiam Nubes spargit lumen suum Domine, et gloria tua apparet in nube. Deus meus confundor, et erubesco levare faciem meam ad te: quoniam iniquitates nostrae multiplicatae sunt nimis, et delicta nostra venerunt usque ad Coelum; sed servus tuus deprecabitur te: et placabilis ei eris, et videbit faciem tuam in jubilo. Ne projicias igitur me à facie tua: et

Digitized by Google

ne expellas me de conspectu Sanctuarii.

Dilecte Jesu, qui stas post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos, ostende mihi faciem tuam, in quam desiderant Angeli prospicere: ut sciam te, et inveniam gratiam coram oculis tuis; ut videam gloriam tuam, et pulchritudinem candoris tui miretur oculus meus. Ecce tu pulcher es, et decorus, et valde speciosus in splendore tuo. Ad te igitur faciem meam converto; ad te oculos meos dirigo.

Oculi tui ut lampas ardens; et tu Domine ignis perpetuus, qui nunquam deficit in Altari. Egrediatur igitur ignis à facie tua, et inflammet corda filiorum tuorum, qui stant in circuitu Mensae tuae. Fiant oculi tui aperti super Servum tuum; Convertere Domine, et respice in me, sicuti respexisti Mulierem, quae erat in Civitate peccatrix, et lacrymis incipiam rigare pedes tuos; sicuti respexisti Petrum ter te ne-

gantem, et flebo amare; sicuti vidisti hominem, jacentem in grabato suo, et sanus erit Servus tuus ab infirmitate sua; sicuti vidisti Matthaeum, sedentem in telonio, et relictis omnibus sequar te Deus meus. Emitte lucem tuam, quae me deducat in tabernacula tua: ne appaream vacuus in conspectu tuo; sed praebeam tibi cor meum, et vota mea, sicuti stetit Stella supra locum, ubi tu eras Puer: et intrantes Magi, qui venerant ab Oriente, Domum, invenerunt te cum Maria Matre tua: et procidentes adoraverunt te: et apertis thesauris suis obtulerunt tibi munera Aurum, Thus, et Myrrham.

Dominus meus, et Deus meus in cujus conspectu sto: in quem nunc quoque non videns credo: quem diligo, et adoro; et credens exulto laetitia inenarrabili, et glorificata, donec videam te in Sion Monte Sancto: in Coelo, ubi est Sedes tua, quando elevabitur Nubes de tabernaculo: et adimplebis me laetitia cum

Digitized by Google

vulto tuo in saecula saeculorum. Amen.

Nunc autem Domine, cum angustiaretur in me anima mea recordatus sum tui, ut veniat ad te oratio mea ad Templum sanctum tuum. Tu enim nobiscum Domine Deus noster, qui auxiliator es noster, pugnasque pro nobis. Pone igitur me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.

Ecce sto in Sanctuario tuo in tabernaculis fiduciae, et effundo animam meam in conspectu tuo. Levo ad te manus meas in loco sancto, quem elegisti: ut ponas Nomen tuum ibi, et habites in eo: et sciant inimici nostri quia nobiscum es.

Da mihi Domine, ut appaream quotidie ante faciem tuam coram Altari tuo, et maneam ibi jugiter: ut tu Domine mecum maneas in diebus peregrinationis meae, et in aeternum; et sim securus à facie tua, quando videbo te Filium hominis, venientem in nubibus Coeli cum virtute multa, cum potestate magna, et majestate. Amen.

ORATIO

S. EPHREM SYRI,

EX SACRA SCRIPTURA

Ante Orationem, aut Lectionem spiritualem.

Domine Jesu Christe aperi aures, et oculos cordis mei ad audiendum, et intelligendum sermonem tuum, faciendamque voluntatem tuam. Domine, quoniam incola ego sum in terra, non ascondas à me mandata tua. Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua. Incerta et occulta cordis mei, et sapientiae tuae manifesta mihi; In te enim spes mea Deus, ut tu mentem, atque intellectum meum illumines. Amen.

AD BEATAM VIRGINEM.

Oratiuncula a beata Geltrude composita ad salutandam B. Virginem.

Ave candidum lilium fulgidae sem-

Digitized by Google

perque tranquillae Trinitatis, Rosaque praefulgida caelicae amaenitatis, de qua nasci, et de cujus lacte pasci Rex Coelorum voluit: divinis influxionibus animas nostras pasce.

In exitu animae suae apparebo illi, qui taliter me salutat in florentia tantae venustatis; quod ad miram consolationem sui coelicam amaenitatem illi ministrabo (Cap 19. Vitae, et Revelation. S Geltr. lib. 3. de devotione erga Matrem Domini, et de promptissimo ejus circa se invocantes patrocinio) Quae multum valet ad Sacerdotalem vitam instituendam.

Benedicta tu a Domino Deo excelso prae omnibus mulieribus super terram. Te elegit Dominus Deus Israel ut esses Regina, et sederes in Throno Regni sui in sempiternum: Benedictus Dominus, qui exaltavit te, et adornavit plusquam omnes mulieres: et habuisti gratiam, et misericordiam coram eo: et posuit diadema Regni in capite tuo, fecit-

Digitized by Google

que te regnare. Dominus exaltatio tua, qui contulit tibi splendorem: et ampliavit te, ut incomparabili decore omnium oculis appareres. Tu pulchra nimis, et decora facie. Tu formosa valde. Tu gloria Jerusalem. Tu laetitia Israel. Tu honorificentia popoli nostri. Tu speciosissima inter filias, quae placuisti, et invenisti gratiam in conspectu Domini; qui Nomen tuum ita magnificavit, ut non excidat laus tua ab ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in aeternum. Tu hortus conclusus: Fons signatus. Favus distillans labia tua: mel, et lac sub lingua tua: et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Emissiones tuae Paradisus. Flores tui fructus honoris, et honestatis. In te gratia omnis viae, et veritatis: in te omnis spes vitae, et virtutis. Spiritus tuus super mel dulcis, et haereditas tua super mel, et favum. Memoria tua in generationes saeculorum. Qui edunt te adhuc esurient: et qui bibunt te, adhuc sitient. Qui audit te

Digitized by Google

non confundetur : et qui sperant in te non peccabunt ; Qui elucidant te, vitam aeternam habebunt.

Tu Mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei. Te Dominus quasi Sponsam decoravit corona : et quasi Sponsam ornavit monilibus. Amabilis Domino, eo quod diligat te Dominus, qui te amabilem fecit : ideo es nimis amabilis timentibus te. Tu diligentes te diligis, et thesauros eorum reples : Tecum enim sunt divitiae, et gloria : opes, et justitia. Tu admirabilis in conspectu Potentium, et facies Angelorum mirabuntur te. Vas admirabile : Opus Excelsi : Civitas Regis magni : Templum Dei vivi : Thalamus, ex quo processit Sponsus, qui exultavit ut gigas ad currendam viam. Habitaculum Spiritus Sancti, qui supervenit in te, et obumbravit tibi ; ideoque quod natum est ex te Sanctum, vocatum est Filius Dei. Tu radix Jesse, de qua flos ascendit, qui est flos campi, et lilium convallium : super quem requievit Spiritus Domini.

Digitized by Google

Dominus possedit te in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab aeterno ordinata es; et ex antiquis antequam terra fieret. Respexit te Dominus Ancillam suam; et beatam te dicunt omnes generationes, quia fecit tibi magna qui potens est. Beata es quae credidisti; quoniam perfecta sunt in te qnae dicta sunt tibi à Domino.

Tu Ancilla Domini, et Mater, in qua adimplevit Dominus misericordiam suam, quam promisit domui Israel; et interfecit in manu tua hostem populi sui. Tu illa Mulier, inter quam, et serpentem posuit Deus inimicitias; Contrivisti caput ejus, qui insidiabatur calcaneo tuo; quoniam pulchri sunt gressus tui Filia Principis. Manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in aeternum. Benedictus Deus omnipotens, qui tradidit hostem in manus foeminae, et confodit eum. Benedictus Dominus, qui fecit Coelum, et Terram; qui te direxit in vulnera capitis Principis inimicorum nostrorum.

Quis potest dicere . Mundum est cor meum ; purus sum à peccato ? Tu , Speculum justitiae , et sine macula tota pulchra es , et macula non est in te , quae nimium placuisti oculis Dei nostri . Tu Civitas Refugii , ad quam venient Gentes ab extremis terrae . Fortitudo nostra , et robur nostrum , et refugium nostrum in die tribulationis . In nomine tuo fiducia fortitudinis ; et filiis tuis eris Spes . Inveniat igitur servus tuus fiduciam , et oret coram te , faciet enim Dominus quidquid tibi placuerit ; et omne , quod petieris ab illo , impetrabis . Voci tuae obediente Deo, cui obediunt omnia ; ipse enim implet petitiones tuas . Deprecaberis pro me , et liberabis me ab iniquitate mea . Rogabit te populus tuus , ut in aeternum custodias illum ; quae tuam portionem signis evidentibus protegis , quasi Aurora consurgens , et adducens laetam diem his , qui in tenebris , et umbra mortis sedent . Protege igitur Urbem hanc , et Familiam , o terribilis ut castrorum acies

ordinata ; et non sit Satan , neque occursus malus . Protege domum istam , in qua invocatur quotidie Nomen sanctum tuum . et salva eam propter te . Ne retrahas manus tuas ab auxilio servi tui . Ascende cito , et libera me , ferque praesidium ; convenerunt enim adversum me , et circumdederunt me undique inimici mei. Libera me de omni angustia, et da mihi salutem ; in te enim , et in Nomine tuo habet servus tuus fiduciam . Pone me in foramine petrae , in latere Jesu Christi Filii tui ; et protege me dextera tua , donec transeam . Quae stabas juxta Crucem Jesu , quando Omnipotens replevit te amaritudine , adsis mihi famulo tuo in hora tribulationis : et da mihi fiduciam , ne timeam in die furoris Domini . Dissolvantur in specie faciei tuae inimici nostri , et deduc me in vitam aeternam : ut , indutus vestimentis laetitiae , videam te , et Jesum Christum , quem beatus Venter tuus portavit , qui beata suxit ubera tua , qui cum Patre , et Spi-

Digitized by Google

ritu Sancto vivit, et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

V.

EXAMEN CONSCIENTIAE.

Gratiarum Actio.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Benedic anima mea Domino, et omnia, quae intra me sunt, Nomini Sancto ejus. Benedic Anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Tu Domine formasti me de limo terrae ad imaginem, et similitudinem tuam. Spiritus tuus Domine fecit me, et Spiraculum Omnipotentis vivificavit me, ut viveret anima mea, et laudaret te: ut recordarer Creatoris mei omnibus diebns vitae meae: ut delectarer in Omnipotente, et invocarem te Deum meum in omni tempore.

Tu Domine, qui bonorum meorum

Digitized by Google

non eges , conservas me Creaturam tuam , opus manuum tuarum : et das mihi escam in tempore , qui aperis manum tuam , et imples omne Animal benedictione .

Tu Domine regis me , et nihil mihi deest in loco pascuae , in quo me collocasti : et mandasti Angelis tuis de me , ut custodiant me in omnibus viis meis .

Tu cogitas de me , et tibi est cura de me , qui facis , ut diligentibus te omnia cooperentur in bonum .

Tu vocasti me de tenebris in admirabile lumen tuum ad agnitionem veritatis , ad cognoscendum te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.

Tu dedisti propitiationem pro delictis nostris Filium tuum Unigenitum ; qui dilexit , et lavit nos in sanguine suo , quem Advocatum habemus apud te Patrem , et Redemptionem pro peccatis nostris .

Tu dedisti nobis Scripturas Sanctas , per quas spem habeamus , et auxilium in tempore opportuno . Locutus es nobis in Filio , et dedisti

Digitized by Google

nobis Spiritum Sanctum, qui ex te, et Filio tuo procedit, Spiritum veritatis, qui loquitur ad cor nostrum, et testimonium perhibet de te, et Filio tuo, Deo vivo, et vero.

Tu elegisti; et assumpsisti me, ut inhabitarem cum Servis tuis in atriis tuis, et replerer in bonis domus tuae in Templo tuo, quod Sanctum est, et mirabile in aequitate.

Tu suscepisti me de via iniquitatis, et justificasti gratis per gratiam tuam, per redemptionem quae est in Christo Jesu.

Tu liberasti me secundum multitudinem misericordiae tuae a manibus quaerentium animam meam: a portis tribulationum, quae circumdederunt me: à praessura flammae, quae circumdedit me: et in medio ignis non sum aestuatus.

Tu non amovisti orationem meam, et misericordiam tuam à me: sed placuit tibi, ut apparerem hodie in conspectu tuo, et meditarer eloquia tua.

Tu parasti mihi mensam, et de-

Digitized by Google

disti mihi Panem de Coelo verum ad manducandum, et Vinum germinans Virgines ad bibendum.

Tu elegisti me in Sacerdotem ad sacrificandum tibi quotidie Hostiam laudis, Corpus, et Sanguinem Jesu Christi Filii tui, qui voluit esse nobiscum usque ad consummationem saeculi; et offerri tibi Deo vivo, et vero in Ecclesia in holocaustum sempiternum, et propitiationem pro delictis populi sui.

Tu denique non projecisti me a facie oculorum tuorum, nec recessisti a servo tuo, nec succidisti arborem non ferentem fructum; sed sustinuisti me in multa patientia, Deus meus, longaminis, et patiens, et multum misericors. Propterea confitebor, et laudem dicam tibi, et benedicam semper Nomini tuo.

Petitio Luminis.

Sed ego Domine, repletus misericordia tua, retribui tibi mala pro bonis: sterilitatem animae meae,

Digitized by Google

spinas, et tribulos germinans tibi. Tu vero, qui consideras vias meas, et cunctos gressus meos dinumeras: quem nulla latet cogitatio, illumina tenebras meas, ut videam quam sim pauper, caecus, et nudus: et sciam quid desit mihi. Revela ignominiam meam; scelera mea, et delicta ostende mihi, antequam manifester ante Tribunal tuum, ubi illuminabis abscondita tenebrarum, et manifestabis consilia cordium; antequam pusilli, et magni stent in conspectu Throni, et aperiantur libri, et judicentur ex his, quae scripta sunt in libris secundum opera ipsorum. Pravum est cor hominis, et inscrutabile. Quis cognoscet illud? Tu, scrutans corda, et renes, Deus.

POST EXAMEN.

Nonne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis; Quomodo non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob? Qui plantavit aurem non audit, aut qui finxit ocu-

Digitized by Google

lum non considerat ? Qui corripit gentes, non arguet : qui docet hominem scientiam ? Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt.

Confusio.

Quid faciam, cum surrexerit ad judicandum Deus ? Et cum quaesierit, quid respondebo illi ? Qui, etiam si habuerim quidqnam justum, non respondebo : Sed meum Judicem deprecabor, et dicam ei : Pater, peccavi in Coelum, et coram te : Jam non sum dignus filius vocari tuus.

Veruntamen iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me erit semper. Tibi enim soli peccavi, et malum coram te feci. Iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae : et exitus aquarum deducent oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.

In abscondito plorabit anima mea

Digitized by Google

coram Domino, qui fecit me. Plorans plorabit, et oculus meus deducet lacrymas, quia longe factus est à me Consolator, convertens animam meam. Factus sum perditus, quoniam invaluit inimicus. Veruntamen vias meas in conspectu ejus arguam, et ipse erit Salvator meus.

Justitia.

Justus es Domine, et omnia judicia tua justa sunt: et omnes viae tuae misericordia, et veritas. Rectus es, et iniquitas non est in te.

Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas. Cognovi Domine, quia aequitas judicia tua, et in veritate tua humiliasti me.

Quoniam non obedivi praeceptis tuis, ideo traditus sum in direptionem, et captivitatem. Et nunc Domine magna judicia, quia non ego secundum praecepta tua, et non ambulavi sincere coram te.

Peccavi super numerum arenae ma-

Digitized by Google

ris , et non sum dignus videre altitudinem Coeli prae multitudine iniquitatis meae, quoniam irritavi iram tuam, et malum coram te feci.

Si justificare me voluero, os meum condemnabit me: et si innocentem ostendero, pravum me comprobabit.

Exacerbavimus te, qui fecisti nos, Deus aeterne, et propterquod ad iracundiam provocavimus Deum, traditi sumus adversariis nostris. Et tu justus es Domine in omnibus, quae venerunt super nos: quia veritatem fecisti, nos autem impiè egimus.

Indignatio.

Haeccinae reddis Domino Deo tuo homo stulte, et insipiens? Numquid non ipse est Pater tuus, qui possidet te, et fecit, et creavit te? Dereliquisti Deum factorem tuum, et recessisti a Deo salutari tuo? Oblitus es Dei, qui salvavit te?

Oblitus es Dei, qui creavit te, et contristasti Nutricem tuam Jerusalem, Ecclesiam Primitivorum, qui

conscripti sunt in Coelis, et ad multorum millium Angelorum frequentiam.

Timor.

Ante faciem indignationis ejus quis stabit? et quis resistet in ira furoris ejus? Revelabunt Coeli iniquitatem meam, et terra consurget adversus me.

In me transierunt irae tuae, et terrores tui conturbaverunt me. Timor, et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebrae.

Ecce inter Sanctos tuos nemo immutabilis, et Coeli non sunt mundi in conspectu tuo, et in Angelis tuis reperis pravitatem. Quanto magis abominabilis, et inutilis ego sum, qui bibi sicut aquam iniquitatem!

Numquid justificari potest homo comparatus Deo, ut appareat mundus natus de muliere? Ecce Luna non splendet, et Stellae non sunt mundae in conspectu ejus. Quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis?

Digitized by Google

Proinde vereor Domine omnia opera mea, sciens quod non parcas delinquenti. Vae mihi, si abscondas faciem tuam à me, et consideres novissima mea.

Manum tuam longe fac à me, et formido tua non me terreat. Projiciens repulisti me: iratus es contra me vehementer.

Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Numquid in aeternum projiciet Deus? aut non apponet ut complacitior sit adhuc? aut in finem misericordiam suam abscindet? aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira misericordias suas?

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Ne projicias me à facie tua, et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.

Recordare quod ego sum pulvis et cinis, et in iniquitatibus conceceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.

Digitized by Google

Tu quidem gressus meus dinumerasti: sed parce peccatis meis.

Desiderium.

Quis mihi det, ut sim juxta menses pristinos secundum dies, in quibus Deus custodiebat me? Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lucem illius ambulabam in tenebris? Sicuti fuit in diebus adolescentiae meae, quando Deus erat secreto in tabernaculo meo: et Omnipotens erat mecum!

Domine ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus.

Redde mihi laetitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.

Converte nos Domine ad te, et convertemur: innova dies nostros, sicut à principio.

Aemulatio.

Beati omnes, qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus.

Digitized by Google

Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore.

Arcus fortium superatus est : et infirmi accincti sunt robore. Repleti prius pro panibus se locaverunt: et famelici saturati sunt.

Quanti Mercenarii in domo Patris mei abundant panibus : ego autem hic fame pereo.

Beati Viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam.

Vindict.

Laqueum paraverunt pedibus meis, et incurvaverunt animam meam, sed ego persequar inimicos meos, et comprehendam illos : et non convertar donec deficiant. Tu Domine crue me in mirabilibus tuis, et da gloriam Nomini tuo.

Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino.

Creator omnium Deus terribilis,

Digitized by Google

et fortis, et justus, et misericors.

Tu scis quae cogitant in nos inimici nostri, et iguoramus quid agere debeamus. Domine, Domine ad te sunt oculi nostri, ne pereamus.

Petitio Veniae.

Et nunc Domine Omnipotens, Deus Israel, anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te. Audi Domine, et miserere, quia Deus es misericors: et miserere nostri, quia peccavimus ante te. Vae nobis, quia peccavimus. Propterea moestum factum est cor nostrum: ideo contenebrati sunt oculi nostri.

Quare in perpetuum oblivisceris nostri, derelinquens nos in longitudinem dierum?

Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in Inferno anima mea. Sed tu Deus in misericordiis tuis plurimis non fecisti nos in consumptionem, nec dereliquisti nos, quoniam Deus miserationum, et clemens es tu, et ignoscens su-

Digitized by Google

per malitia. Parce igitur Domine, parce servo tuo, habenti fiduciam in sangnine Filii tui.

O Domine Jesu, Pastor bone, qui venisti in hunc Mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum; miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. Propter te accedo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequar, et gratiam inveniam. Tu misericors, et miserator Dominus. Tu patiens, et multum misericors. Tu suavis Dominus universis: et miserationes tuae super omnia opera tua.

Quomodo miseretur Pater filiorum, misereris Domine timentibus te: et ipse cognoscis figmentum nostrum, et recordaris quia caro sumus.

O longanimitas; et benignitas Dei adducens ad poenitentiam! Non avertis faciem tuam a nobis: et, si reversi fuerimus ad te, avertetur à nobis ira furoris tui. Et si conversus fuerit, et ingemuerit peccator, peccatorum ejus non recordaberis amplius.

Digitized by Google

Accipe igitur Domine cor plenum amaritudine, et pone lacrymas meas in conspectu tuo; cor enim contritum, et humiliatum Deus non despicies.

Ne simul trahas me cum peccatoribus, et cum operantibus iniquitatem ne perdas me. Sed miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam: et cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.

A mandatis labiorum tuorum non recedam amplius: et in sinu meo abscondam verba oris tui; Juravi enim, et statui custodire judicia justitiae tuae. Custodi Deus hanc voluntatem, et ad venerationem Nominis Sancti tui mens ista permaneat. Amen.

In Tribulatione.

Si erit malum in Civitate, quod Dominus non fecerit? Dominus mortificat et vivificat: deducit ad inferos, et reducit; bona enim et mala, vita et mors, paupertas et ho-

nestas a Deo sunt . Si ergo , sicut Domino placuit ita factum est, sit Nomen Domini benedictum.

Tu nescis modo , scies autem postea quam beati qui lugent ; quem enim diligit Dominus , corrigit et castigat ; quoniam arcta , et angusta est via , quae ducit ad vitam , et pauci inveniunt eam ; lata vero et spatiosa , quae ducit ad perditionem ; sed vae vobis , qui ridetis nunc , quia lugebitis , et flebitis .

Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit , quod vita ejus si in probatione fuerit , coronabitur ; si enim compatimur, et conregnabimus. Si fuerimus socii passionum, erimus et consolationum : Per multas enim tribulationes oportet nos intrare in Regnum tuum Domine, qui dicebas ad omnes : Qui vult venire post me, abneget semetipsum , et tollat Crucem suam quotidie, et sequatur me . Igitur haec mihi sit consolatio , ut affligens me dolore non parcas , nec contradicam sermonibus Sancti . Dominus es : quod rectum est in ocu-

Digitized by Google

lis tuis facias. Fiat Domine, fiat voluntas tua sicut in Coelo, et in Terra.

Respice in eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem: qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; nos autem peccavimus, inique egimus, recessimus à Testamento suo. Et nos quidem digna factis recipimus, hic autem quid mali fecit? sed et per proprium sanguinem introivit, Vir dolorum, et sciens infirmitatem. Qui vero dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulabulare; ille aatem cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste: Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, et sicut onus grave gravata sunt super eum: Qui tanquam Agnus ad occisionem ductus, coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum, pro nobis passus, et crucifixus. Inspiciam ergo, et faciam

Digitized by Google

secundum exemplar, quod mihi in Monte monstratum est. Levabo oculos meos in Montem, unde veniet auxilium mihi: et confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: et conversus consolaberis me. Conversus et ego sum ad te Domine in aerumna mea. dum configitur spina. Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus: quia venit tempus: quia venit nox tribulationis, quando nemo potest operari, incipiens pavere, taedere, et moestus esse. Ne itaque derelinquas me in tempore tribulationis: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma; Nec sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis; sed facias cum tentatione proventum, et quamdiu fuero psallam Deo meo, cantabo Domino in vita mea: Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me: et eduxit me de lacu miseriae, et de luto foecis.

Digitized by Google

VI.

EXERCITATIO SEROTINA

Ante Somnum.

Domine Deus meus, et Creator Coeli, et Terrae, qui posuisti tenebras, et facta est nox: et in ipsa pertransibunt omnes bestiae sylvae; Qui das dilectis tuis somnum, sanctifica locum istum, ut in pace dormiam, et requiescam. Fiat Domine hac nocte cor meum, et corpus meum immaculatum; ut sit Templum Dei vivi, et Spiritus Sanctus tuus habitet in me. Scuto circumdet me veritas tua, ut non timeam a timore nocturno, a negotio perambulante in tenebris, et me non superet potestas tenebrarum. Custodiant me sancti Angeli tui, quibus mandasti de me, ut custodiant me in omnibus viis meis. Et tu Domine custodi me ut pupillam oculi; et sub umbra alarum tuarum protege me.

In manus tuas commendo spiritum

Digitized by Google

meum ; ut , sive dormiam , sive vigilem , simul tecum vivam . Ne igitur dormites, neque dormias , qui custodis Israel . In lectulo meo quaeram per noctes quem diligit anima mea : tenebo te , nec dimittam Domine Jesu , qui , dum medium silentium contineret omnia ; et nox in suo cursu medium iter perageret , sponsus venisti , procedens de thalamo tuo : de utero Virginis Matris tuae , ut lux luceret in tenebris . Illustra igitur faciem tuam super servum tuum , et salvum fac filium Ancillae tuae , Matris tuae : ut cognoscam , et etiam in tenebris , mirabilia tua .

Visita servum tuum , sperantem in te qui penetrasti omnes inferiores partes : et inspexisti omnes dormientes ; et illuminasti omnes sperantes in Domino . Recordare etiam eorum , qui cum pietate dormitionem acceperunt : et post tenebras sperant lucem , de profundis clamantes ad te , Domine .

Non transgrediar in lecto meo ,

Digitized by Google

nec dicam: Quis me videt? delictorum meorum non memorabitur Altissimus; licet enim tenebrae circumdent me: et parietes cooperiant me: et nemo circumspiciat me; cognovi tamen quia oculi tui multo plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes. Sed anima mea desiderabit te in nocte: et spiritu meo in praecordiis meis: et erit nox illuminatio mea in deliciis meis. De mane vigilabo ad te: memor erò tui super stratum meum, ut in matutinis mediter in te, qui es adjutor meus. Dormiam Domine, sed cor meum vigilet ad te: ut, cum repente veneris, non invenias me dormientem cum fatuis, sed cum vigilantibus electis tuis festinem ingredi in illam requiem, ubi nox ultra non erit, et non egebunt lumine Solis, neque Lunae; quoniam tu Domine Deus illuminabis eam: et lucerna ejus erit Agnus, filius tuus, cum quo regnabunt in saecula saeculorum. Amen. Amen.

Digitized by Google

SANCTI EPHREM SYRI

PIA AD DEUM

ORATIO.

Peccavi in Coelum, et coram te Domine Deus omnipotens: nec jam sum dignus vocari filius tuus, aut oculos in Coelum attollere prae multitudine iniquitatum mearum, labiisque meis impuris gloriosum Nomen tuum invocare; indignum enim me et Coelo, et terra reddidi, quia te, Dominum meum benignissimum, ad iracundiam provocavi. Quaeso, obtestorque Domine, ne projicias me à facie tua; neque recedas à me, ne miser peream. Nisi enim gratia tua me praecessisset, jam ego periissem. et essem jam sicut pulvis ante faciam venti, et in nihilum in hac hora recidissem. Ex quo enim viam tuam dereliqui, nullus mihi laetus illuxit dies; nam qui in peccatis jucundior dies visus est, acerbissimomorum fuit acerbissimus. Caeterum

Digitized by Google

gratia tua fretus, atque confisus, spero te mihi robur, ac vires praebiturum, ut saluti meae consulere possim. Et nunc ad te supplex confugio, rogans ut me, a justitiae semita devium, suscipias, et in rectam viam reducas. Effunde in me multitudinem miserationum tuarum, sicut olim in filium prodigum effudisti; quia vitam dedecoravi meam, dissipatis divitiis gratiae tuae; ipsaque mihi vita verecunda fuit. Miserere mei Deus; et ne memineris vitae meae, quae est ad extremam redacta vilitatem. Miserere mei, sicut olim Peccatricis, et Latronis, et Publicani misertus es. Illi enim, cum in terra viverent, ab omnibus spernebantur; at tu illos suscipiens, Paradisi delitiarum incolas fecisti. Suscipe igitur, et meam inutilis servi tui poenitentiam; nam et ego apud cunctos despicior, rejiciorque. Venisti enim Domine, non ut justos, sed peccatores ad poenitentiam vocares. Quia te decet gloria in saecula saeculorum. Amen.

F I N I S.

Digitized by Google

PRECES QUOTIDIANAE

AD IMPETRANDAM

Bonam Mortem.

Moriturum me certo scio. At quando? Ubi? Quomodo? Prorsus ignoro.

Terra sum, et in pulverem, et terram convertetur caro mea.

Immortalis sum animo, et spiritu; et ibo carne solutus in domum aeternitatis meae. O aeternitas interminabilis! O mortis ultimum punctum, à quo pendet aeterna aeternitas!

Tu solus vitae meae, Dominus, et Deus es. Vivere et hodie non recurso; sed vitam nolo, si tibi, et tuis obsequiis vitam meam omnem non impendam. Si me mori vel hodie jubes, mortem non recuso; moriar, ut te videam; moriar tecum, ut in aeternum vivam. Ah fiat in me, de me, circa me, et circa mea omnia, sanctissima voluntas tua in tempore, et in aeternitate.

Digitized by Google

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Domine quid me vis facere? Domine quid me vis pati? Domine quid me vis fieri? Resignationibus nostris, quaesumus Domine, placare susceptis; et ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates.

Doleo, et toto corde doleo, quod te offenderim Deum meum, quia bonus es, sanctus es, amor meus es, Deus meus es.

Absorbeat, quaeso Domine, mentem meam ignita, ac melliflua vis amoris tui ab omnibus, ab omnibus, ab omnibus, quae sub Coelo sunt, ut amore amoris tui vivam, et amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es Deus factus homo vivere, et mori.

Domine Jesu Christe, propter illam amaritudinem mortis, quam pro me sustinuisti in Cruce, maxime in illa hora, quando nobilissima anima tua egressa est de benedicto corpore tuo, deprecor te, miserere ani-

Digitized by Google

mae meae in egressu suo, et perduc eam in vitam aeternam. Amen.

Libera nos, Domine, a subitanea, et improvisa morte. Secundum magnam misericordiam tuam.

Libera nos, Domine, morientes a mala morte. Secundum magnam misericordiam tuam.

Libera nos Domine, morientes ab omni peccato. Secundum magnam misericordiam tuam.

Libera nos Domine, morientes ab insidiis diaboli. Secundum magnam misericordiam tuam.

Libera nos, morientes ab omni terrore, et formidine. Secundum magnam misericordiam tuam.

Libera nos, Domine, morientes a diffidentiae, et desperationis tentatione. Secundum.

Libera nos, Domine, morientes à spiritu praesumptionis. Secundum.

Libera nos, Domine, morientes a cordis duritie. Secundum.

Libera nos Domine, morientes ab ira tua. Secundum.

Libera nos, Domine, morientes a

Digitized by Google

potestate diaboli. Secundum.
Libera nos, Domine, morientes a poenis Inferni. Secundum.
Libera nos, Domine, morientes ab omni Mundi, Sanguinis, et carnis illecebra. Secundum.

†

Concede nobis, Domine, morientibus susceptionem Sacramentorum. Secundum.
Concede nobis, Domine, morientibus abundantiam divinae gratiae tuae. Secundum.
Concede nobis, Domine, morientibus perfectam contritionem. Secundum.
Concede nobis, Domine, morientibus firmam spem, et certissimam fidem. Secundum.
Concede nobis, Domine, morientibus ardentem charitatem. Secundum.
Concede nobis, Domine, morientibus patientiam, et tolerantiam inter dolores. Secundum.
Concede nobis, Domine, morientibus fortitudinem contra diabolicos

Digitized by Google

incursus. Secundum.

Concede nobis, Domine, morientibus perfectam cum tua voluntate conformitatem. Secundum.

Concede nobis, Domine, morientibus desiderium ardentissimum videndi Deum. Secundum.

Concede nobis, Domine, morientibus protectionem Beatae Mariae semper Virginis, Angelorum custodiam, et Sanctorum omnium intercessionem. Secundum.

Concede nobis, Domine, morientibus Sacerdotum orationes, et auxilium. Secundum.

†

Domine Jesu Christe Fili Dei vivi per sanctam Incarnationem tuam. Parce peccatis nostris, Domine, et salva nos.

Per sanctam Nativitatem tuam. Parce peccatis nostris Domine, et salva nos.

Per baptismum, et sanctum jejunium tuum. Parce.

Per sanctam, et laboriosam vitam tuam. Parce.

Per famem, sitim, et vigilias

Digitized by Google

tuas. Parce.

Per exclamationes, et suspiria tua. Parce.

Per amarissimas lachrymas tuas. Parce.

Per maximos cordis tui pavores, et dolores. Parce.

Per sanguineum sudorem tuum. Parce.

Per manuum tuarum colligationes. Parce.

Per opprobria, alaphas, et ludibria tua. Parce.

Per acerbissimas flagellorum plagas. Parce.

Per spineam coronam tuam. Parce.

Per sacratissimas sanguinis effusiones. Parce.

Per sanctam Crucem, et Passionem tuam. Parce.

Per fel, et acetum a te gustatum. Parce.

Per quinque vulnera tua. Parce.

Per sanctam agoniam tuam. Parce.

Per Animam tuam sanctissimam in manus Patris commendatam, et pro redemptione Mundi a corpo-

Digitized by Google

re separatam. Parce.

Per mortem, et sepulturam tuam. Parce.

†

Pater de Coelis Deus. Moriatur anima nostra morte justorum.

Fili Redemptor Mundi Deus. Moriatur anima nostra morte justorum.

Spiritus Sancte Deus. Moriatur.

Sancta Trinitas unus Deus. Moriatur.

Per viscera misericordiae tuae. Moriatur.

Per merita, et intercessionem Virginis, et Matris Mariae. Moriatur.

Per intercessionem Sanctorum Angelorum, et Archangelorum. Moriatur.

Per merita, et intercessionem Sanctorum Apostolorum, et Evangelistarum. Moriatur.

Per merita, et intercessionem Sanctorum, et Sanctarum Martyrum. Moriatur.

Per merita, et intercessionem Sanctorum Pontificum, et Confessorum. Moriatur.

Digitized by Google

Per merita, et intercessionem Sanctorum Doctorum. Moriatur.

Per merita, et intercessionem Sanctorum Monachorum, et Eremitarum. Moriatur.

Per merita, et intercessionem Sanctorum Sacerdotum, et Levitarum. Moriatur.

Per merita, et intercessionem Sanctarum Virginum, et Viduarum. Moriatur.

Sancte Michael Archangele, Angeli nostri Custodes, et omnes Sancti Beatorum Spirituum Ordines, et vos Beatissimi Patroni nostri N. N. N. N. N. defendite nos in praelio, ut non pereamus in tremendo Judicio.

Tuque, o MARIA, Mater, et Virgo, Mater admirabilis, Consolatrix afflictorum, et Regina Sanctorum omnium, intercede pro nobis, ut spiritus noster absque ulla peccati macula, et poenae reatu, mereatur a Sanctis Angelis suscipi, et ad patriam Paradisi perduci.

Amen. Amen. Amen.

Digitized by Google

INDEX



REIMPRIMATUR.

Si videbitur Rmo P. Magist. Sac. Pal. Apostolici.

Candidus Maria Frattini Arch. Philipp. Vicesg.

REIMPRIMATUR.



Fr. Philippus Anfossi Ord. Praed. Sac. Pal. Apost. Magister.

MAG 2005696

Digitized by Google